Winkler Martini: Quaestio theologica de voluntate Dei.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE VOLVNTATE DEI,

Ex Prima Parte Angelici DOCTORIS Q. 19 A. 2. &c. desumpta.

Pro Loco inter S. Th: Doctores, in Alma Vniuersitate Studij Generalis Cracouien: obtinendo

PUBLICÆ DISPUTATIONI

A

M. MARTINO WINKLER

S. Th: DOCTORE, COLLEGA MAIORE, PRÆPOSITO SANDOMIRIENSI, ad S. FLORIANUM CUSTODE, Cancellario Lancicienti,

In D. Iagellonis Collegio nuncupato Maiori, Lectorio DD. Theologorum

PROPOSITA.

Anno Incarnatæ Sapientiæ 1683. Mensis Nouemb: Die 9.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

QVÆSTIO

V. Voluntatis Diuinæ, Liberæ, & ſemper efficacis, obiectum formale & adæquatum ſit ſola eius bonitas increata? nec ne.

CONCLVSIO I.

NOn tantum lumine fidei, ſed etiam lumine rationis naturalis conſtat voluntatem eſſe in Deo.

COROLLARIA.

I. Voluntas in Deo non deſignat ipſam potentiam volitiuam ſeparatam ab actu, ſed ipſum velle actuale.

II. Bene tamen ſecundum noſtrum imperfectum modum concipiendi, apprehendimus Diuinam voluntatem adinſtar potentiæ.

III. Vnde principium radicale volitionis in Deo diſtinguitur virtualiter ab actuali volitione.

IV. Sicut intelligere Dei eſt ſuum eſſe, ita ſuum velle.

V. Voluntas Diuina non eſt de formaliſsimo conceptu eſſentiæ Dei, ſed aliquid præſupponens ipſam integre conſtitutam intra propriam Lineam.

CONCLVSIO II.

INdubitatæ fidei dogma eſt, Deum perfectiſſima Libertate velle & operari omnia ſecundum conſilium volũtatis ſuæ.

COROLLARIA.

I. *Libertas voluntatis Diuinæ intelligitur seclusis illis imperfectionibus quæ Libero arbitrio creato conuenire possunt, prout est, posse deficere ab vltimo fine, quod Deo conuenire non potest.*

II. *Actus Dei Liber, non consistit in aliqua formalitate, quæ possit adesse vel abesse à Deo.*

III. *Consistit in actualitate actus necessarij, libere ad creaturas terminatâ & prout sic, dici potest defectibilis.*

IV. *Voluntas Dei vt natura est, non distinguitur à seipsa vt Libertas est.*

V. *Non tantum contrarietatis, sed etiam contradictionis Libertas vere in Deo datur.*

CONCLVSIO III.

VOluntas Dei ita summe est semper efficax, vt, sicut sine ipsa nil potest fieri, ita, nec præter, vel contra ipsam, possit.

COROLLARIA.

I. *Deus multa potest & non vult, nihil autem vult, quod non possit.*

II. *Voluntas Dei nullam rebus omnibus volitis imponit necessitatem.*

III. *Efficacia voluntatis Diuinæ extendit se quoad omnes actus Liberos causarum creatarum, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum agendi illarum.*

IV. *Voluntas Dei antecedens circa salutem omnium hominum, fit efficax ex se, prout descendit ab omnipotentia Dei, non autem ex præsuppositione & dependentia à cōsensu voluntatis creatæ, qui est quid secundarium & consequens ad voluntatem increatam*

V. *Deum velle omnes homines saluos fieri, si & ipsi velint, atq; adeo* expectare *humanas voluntates : dogma est Semipelagianum, percussum anathemate in Concilio Arausicano. Can: 4.*

CONCLVSIO IV.

OBiectum formale & adæquatū voluntatis Dei, tam quoad entitatem quam quoad terminationē consideratū, est sola Diuina eius bonitas.

COROLLARIA.

I. *Sicut Deus alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam, ita alia à se vult volendo bonitatem suam.*

II. *Ac proinde hæc alia à se, idest, creaturæ sunt obiecta secundaria Diuinæ voluntatis.*

III. *Deus vult & amat se suamq; bonitatem, necessariò, absolute, alia tamem à se, non vult necessario sed libere.*

IV. *In Deo respectu creaturarum nequit dici amor affectionis sed potius effectionis.*

V. *Creaturæ possibiles secundum esse suum proprium, quatenus sunt possibiles, nullo modo amantur à Deo.*



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D.M. IACOBI BALTAZAROWIC,

S. Theol. Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiarum Cathedralis Cracouień: CANONICI, SS. Omnium & Prosouiensis Præpositi, Contubernij Staringeliani Prouisoris, Studij Almæ Vniuersitatis Crac: Generalis & Vigilantissimi

R E C T O R I S.